



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1655

§. 75. An putas quia non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum. v. 53.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

§. 74. *Omnis enim qui accipit gladium gladio peribit. v. 52.*

Audiamus utile Argumentum quare suadeat Christus Petro ut gladium recondat in vaginam, primum insinuat in his verbis: *Omnis enim qui accipit gladium gladio peribit* quasi dicat, nescis legem illam Dei Gen. 9. quicunque fuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius: & illam Exod. 21. qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur: Privatam ergo vindictam prohibet Dominus, non ademit gladium magistratui, quod volunt Anabaptistæ: imo vero manifeste tribuit, dum ait, homicidas gladio perituros. Experti sunt hoc ipsum Iudæi qui quoniam cum gladiis & fustibus comprehenderunt Christum gladiis Romanorum occubuerunt: quia Christum crucifixerunt, crucifixi & ipsi sunt, & quidem cum magno scœnore, ita ut corporibus cruce deessent teste Iosepho Denique quia Christum prætio emerunt, prætio & ipsi venditi sunt.

Vere & bene dixisti Domine per servum tuum: *per qua quis peccat, per hac & punietur*, experti id ipsum sunt Iudæi, da igitur mihi gratiam hanc benignissime Deus ne unquam peccem in te per membra aut potentias sive corporis sive animæ, ne per ea puniar, sed iis utar ad tui solius gloriam.

§. 75. *An putas quia non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum. v. 53.*

Argumento alio enervat Petri temeritatem in extrahendo gladio contra tot armatos pius Dominus, per modum interrogationis: *an putas?* quasi diceret, ad quid mihi tuus gladius? an dubitas, quod si me defendere vellem pro duodecim discipulis defensoribus non possum habere duodecim legiones Angelorum? Ecce etiam Angelorum se profiteretur, qui eos habet paratos, Dominum imo non indigere se auxilio Angelorum simul demonstrat, magis enim Angeli opus habent auxilio unigeniti filii Dei, quam ipse Angelorum ope.

Respice nunc o anima mea oculis cordis Dominum & Creatorem tuum cuius celsitudinem mirantur Angeli, quam abiectus esse velit & humiliari propter peccata tua. Age stupens & contremiscens admirare, vide & diligenter rimare uti altissima illa maiestas pro te immentia vilitate sese deiecerit & quasi annihilavit, maxime vero capiendo amorem illum ardentissimum, ex quo istud facere voluit, quando quidem ille solus fuit in causa, cur patiatur, nec velit liberari, ut te perditum salvet in æternum.

Itaque, O Deus misericordissime, quam tibi reddam vicem pro omni hac ineffabili gratia & amore? multum quidem hæcenus mirati sumus quod te ad humanæ naturæ susceptionem deijcere & in præsepi collocari voluisti, sed

sed ista humilitas & abjectio multum illam superat, neque enim iam homo sed abjectus plane vermiculus effectus est, illic quidem eras inter grata piissimæ matris brachia, sed hic inter nudas ferocium manus Iudæorum: ibi Deus & homo adorabaris, hicut latro caperis; ibi regia tibi offerebantur munera, hic cæderis, blasphemaris, contemneris, irrideris, ut mei miserearis, exaltes in cælis, à morte liberaes æterna. Quid igitur retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam & nomen Domini invocabo die ac nocte.

§. 76. Quomodo ergo implebuntur Scripturæ? v. 54.

Pergit Christus in illo tanto tumultu animo præsentissimo ore pacatissimo, alio argumento ulterius persuadere Petro, ut reponderet gladium, nec opus esse putaret defensione sua, quia ita esset præfinitum à Deo Patre in consilio deitatis, re velante per fidem & traditione & sacra scriptura, qua crebro nimis, nimisque aperte prædictum erat Christum passurum, & iam esse illam horam, & ideo non impediendam. Siste ergo, siste Petre, mitte gladium. hæc est enim voluntas patris, ut Christus patiatut ut homo, & ita iatret in gratiam suam & secum multos eo adducat.

OMni Deus quando ero tandem ita sollicitus, ut perficiam quæ mandantur & præferibuntur in sacris litteris, sicut tu modo? quando conabor me vel semel vere conformare non dico, sacra scripturæ toti ad plenitudinem; hæc enim tibi soli convenit, sed ad unicam illam paginam Decalogi, vel duorum præceptorum charitatis? ut te amem toto corde, tibi gratus sim, mandata tua observem. hodie, hodie mi Jesu da gratiam, ut cum gratia sancti spiritus incipiam & nunquam deficiam, satis eheu & nimium satis deflexi à mandatis, ruis utque modo, prò pudor & dolor!

§. 77. Quia sic oportet fieri. v. 54.

Ut tandem concluderet Christus unico quasi verbo omnes rationes quibus Petrum moverat ad desistendum à persecutione Iudæorum, dixit, quia sic oportet fieri, scilicet oportet Christum pati & ita intrare in gloriam suam, & te oportet desistere ab impediendo proposito Dei. verbum enim oportet pro veritate materiæ substratæ indicat necessitatem vel decetiam tam ratione Christi filij Dei, quam hominis redimendi. Filij Dei, quidem quia ipse voluit, juxta Prophetam dicentem, *oblatus est quia ipse voluit*, ratione hominis, quia omnes eramus filij iræ, ejecti ob peccatum Adæ à Paradiso sine fine mansuri miseri: misertus est ergo nostri filius Dei unigenitus & obtulit se Patri ad satisfaciendum pro nobis, iuxta id: *Apparuit benignitas &*

F

huma-